



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

XXVIII. Die Markgrafen Otto und Conrad überlassen dem Kloster Chorin das ihm von denen von Bentz verkaufte Dorf Pinnow und tauschen ihm Hebungen in Grimme mit vier Hufen in Kockstedt ab, am 10. März ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

exinde metere sempiternum. Datum Nyendorpe, anno domini supradicto, VII<sup>o</sup>. Idus Octobris, per manum domini Meinardi, nostre curie Capellani, presentibus militibus prenotatis et religiosis ydoneis videlicet fratre Hermanno de Struzeberg, fratre Johanne de Myfne, Ordinis Predicatorum Gardiano de Pyríz et fratre Geuehardo Minorum ordinis et aliis fide dignis.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerdens Cod. II, 423.

XXVIII. Die Markgrafen Otto und Conrad überlassen dem Kloster Chorin das ihm von denen von Benz verkaufte Dorf Pinnow und tauschen ihm Hebungen in Grimme mit vier Hufen in Kockstedt ab, am 10. März 1284.

In nomine Sancte et indiuidue trinitatis. Otto et Conradus, dei gratia Marchiones Brandenburgenses, uniuersis Christi fidelibus in perpetuum. Ne pro defectu memorie, que pro uida dispensacione geruntur in tempore, mater erroris surrepat obliuio, expedit Gestis in tempore seu gerenda litterarum beneficio perhennari. Qua propter ad notitiam tam presentium quam futurorum volumus peruenire, quod fideles nostri milites dominus Bertrammus, dominus Reinhardus et Bertrammus, sui filii, Johannes et Heidenricus filii domini Heidenrici, dicti de Bentz, de consensu heredum suorum in presentia nostra constituti, Cenobio in Chorin et fratribus inibi Deo famulantibus vendiderunt villam Pinnow cum quadraginta et uno manso, cum omni juris integritate, scilicet agris, lignis, siluis, pratis et pascuis, in antiquis terminis possessis et ceteris utilitatibus, que ex ipsa proueniunt vel prouenire poterunt in futurum, cum duobus stagnis Pinnow et alterum Pinnow uille adjacentibus cum fluuio de Sternhagen influente, quem quidem fluuium nullus utriusque partis auctoritatem habebit molendinis, edificiis seu piscationibus extra suorum terminorum metas occupandi, Et ut ipsis villanis uti libere liceat pascuis in merica, quam tenent communem cum domino Arnolde, dicto Sac, in parte sua et terminis ad ipsos deputatis. Nos uero dictorum militum suorumque heredum uenditionem et fratrum emtionem gratam et ratam habentes pietatis intuitu proprietatem dicte uille Pinnow cum duobus stagnis et omnibus ad ipsam uillam pertinentiis de consensu heredum nostrorum conferimus pleno iure prout ad nos pertinebat memorato monasterio in perpetuum libere possidendam. Addimus etiam et proprietatem quatuor mansorum in uilla Coestede in restaurationem quinque Chororum, quos ipsi fratres in uilla Grimme nobis libere dimiserunt, ita quod nichil juris, nichil proprietatis in dicta uilla et ipsis quatuor mansis et in uniuersis suis attinentiis poterimus nobis perpetuis temporibus uindicare. Et ut nostra donatio et dictorum uenditio simul et emtio stabilis maneat et inconuulsa, presentem paginam testibus adhibitis scribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari. Testes uero sunt Johannes de Griffenberch, Fridericus de Ecstede, Johannes de Oldenvlete, Willekinus de Kerkow, Thetardus de Wostrow, Jacobus de Sternhagen, milites ex parte nostra, frater Rudolfus, Abbas, frater Johannes de Zabelstorp, frater Nicolaus Cellerarius, frater Johannes Polonus, sacerdotes conuersi, frater Woltherus et frater Johannes de Brunswich et alii quam plures. Datum in Angermunde, anno Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXIV<sup>o</sup>. VI. Idus Martii.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staats-Archives berichtigten Abdrucke in Gerdens Cod. II, 426.